

*Lib. IV. Eth. Cap. II. ita docentem: Nihil vetat, quin liberalior aliquis sit, qui pauciora dederit, si modo ex paucioribus etiam fuerit elargitus. II. Moralium doctores statuunt, liberalitatem cadere etiam in pauperes, qui pro diversa conditione vel nihil plane, vel pauca tantum dare possunt. Pauper enim vel is dicitur, qui propriarum facultatum expers, quicquid possidet, ex aliorum liberalitate habet; vel is etiam, cui mediocres, singulisque diebus tantum sufficientes fortunæ adsunt. Ille nihil dare potest, hoc est non potest esse liberalis effectum & divitiis externis, quibus destituitur: at potest idem esse liberalis affectum & secundum propensionem, item divitiis animi, studiis suis & officiis. Hic autem pauca dare, atque ita non affectum tantum, sed effectum etiam & actu secundo liberalis esse potest, licet minimum largiatur. Quod ipsum jam adductus Aristoteles l. c. itidem comprobatur, ita scribens: *Non in multitudine eorum, quæ dantur, sed in habitu ejus, qui dat, actio liberalis consistit.* Pariterque liberalis cujusdam, apud Xenophontem vox est: *Ἐλευθερίας εἶναι καὶ ἀνευχρυσίᾳ ἐστὶ.* Possunt homines etiam sine auro liberales esse. Atque hac ratione Ethici recte constituunt duplicem liberalitatis praxin, interiorem videlicet & exteriorem. Praxi interiori sive animo potest pauper liberalior esse divite, quanquam dives praxi exteriori pauperem superare valeat. Sane Æschines pauperissimus erat, cumque nihil haberet bonorum exter-*

Ratio I.  
Liberalitas non aestimatur ex quantitate munere-  
ris.  
Ratio II.  
Liberalitas cadit etiam in pauperes.